



Disputatio juridica inauguralis de restitutione in integrum minorum

<https://hdl.handle.net/1874/347245>

D I S P U T A T I O J U R I D I C A
I N A U G U R A L I S
D E

32.

Restitutio*n*e in integrum Minorum.

Q V A M,
FAVENTE D E O T E R O P T . M A X .

Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

D. HERMANNI van HALEN,

S.S. Theologiae Doctoris, ejusdemque Facultatis in Inclytâ Academiâ
Utrechtinâ Professoris Ordinarii, Verbique Divini ibidem in
Ecclesiâ Praeconis,

N E C N O N

*Amplissimi Senatus Academicci consensu, Nobilissimeque
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

P R O G R A D U D O C T O R A T U S
Summisque in UTROQUE JURE honoribus & Privilegiis
ritè & legitime consequendis,

Eruditorum examini subjicit

J O H A N van B E R C K E L ,
A. D. . Augsti, hora locoque solitis.



T R A J E C T I ad R H E N U M ,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi , c̄lo Ic LXXXIX.

*Nobilissimis Amplissimis & Consultissimis
VIRIS,*

D.D. ANTONIO van BERCKEL,
J.C. Patruo suo sempiterna observantia vene-
rando colendo.

D.D. GERARDO GAEL,
J.C. Civitatis Roterodamensis Viro Consulari
celeberrimo, ac Senatori dignissimo, ex amita
Patruo suo omni honore nunquam non profe-
quendo, suspiciendo.

Tutoribus fidelissimis, & diligentissimis.

D.D. JOHAN DEL la FAILLE,
Reip. Delphensis Prætori vigilantissimo strenuif-
fimo ac Senatori prudentissimo, ex affinatæ auunculo
suo quam plurimum honerando.

*Se, suamque Disputationem hanc
juridicam*

Sacram facit

JOHAN van BERCKEL, AUCTOR.



DISPUTATIO JURIDICA

INAUGURALIS

D E

Restitutione in integrum Minorum.

THEISIS L



X variis causis, si æquitatis ratione suffragentur, hominibus, vel lapsis, vel circumscriptis prætor succurrit, sive mentu, sive dolo, sive ætate, sive absentia, sive status mutatione, sive justo errore, aut alia denique causa, quæ excusationem meretur in captionem inciderint. l. i. & 2. Dig. de rest. in integ. Certæ hæ, & frequen-
tiores, & ædicto comprehensa sunt causæ, ex illarum nume-
ro, quia non uno ubique modo, sed pro varietate rei sub-
jectæ, prætor restituit, minorum viginti quinque annis natu
beneficium mihi dispiciendum placuit, ad quod vero antequam
descendam in integrum restitutionis definitio, in genere quæ-
nam sit, hic est præmittenda.

A 2

II. Re-

4 DISPUTATIO JURIDICA

I I.

Restitutio in integrum (ut definitur ab Imperatore) est causæ jure amissæ redintegratio. *l. 2. Cod. in quib. caus. in integ. rest. nec. non est.* Dicitur hic causæ amissæ redintegratio, quippe ubi causa amissa non est, restitutione non est opus. *l. 16. dig. de minorib. & l. 3. Cod. cod. tir.* In integrum enim restitutione impetrata, omnia tam à parte adversarii, quam ex parte restituti, in pristinum statum reducuntur. *l. 24. §. 4. dig. de minorib. l. 1. & 2. Cod. si advers. transact.*

I I I.

Naturalem æquitatem prætor secutus, recte minorum tutelam suscipit, quâ de re propter infirmum hujusmodi ætatum consilium, ac multis captionibus suppositum, hisce verbis edit: *Quod cum minore quam viginti quinque annis natu gestum esse dicitur uti quæque res erit animadvertisam l. 1. dig. de minorib.*

Ex Edicto hoc prætoris indistincte succurritur tam masculis, quam feminis, etiam pratri aut filiofamilias *l. 3. §. 4. dig. eodem.* modo se circumscriptos doceant. *l. 7. §. 4. dig. hoc tit.* Verum duo probanda veniunt, prius est minor ætas si illa ab adversario negetur *l. 4. Cod. de in integr. rest. minor.* Minoris dicitur, qui nec dum vigesimi quinti anni ultimum diem ad implevit. Computatur hic tempus non civiliter, quod est de die in diem, verum naturaliter à momento in momentum, adeo si ante horam qua natus deceptus sit restitutionem impetrare possit. *l. 3. §. 3. dig. de minorib.*

I V.

Alterum hic probandum est læsio, sive ea contigerit dolo adversarii sive absque ejus dolo. *l. 5. dig. eodem.* Læsio quæ restitutioni locum facit, est omnis patrimonii nostri diminutio

l. 6.

INAUGURALIS ,

l. 6. dig. eodem. sive omnis actus quo minor vel committendo,
vel omittendo damnum sentire potest. *l. 44. dig. hoc tit.*

V.

Committendo minor læsus restituitur multis ex causis, ve-
luti adversus venditionem, si quid emerit vel vendiderit,
etiam si societatem coierit, aut mutuam pecuniam acceperit &
captus sit. *l. 7. §. 1. dig. eod.* vel si ut fidejussor vel se vel rema
suam obligaverit. *l. 7. §. 3. dig. eod.* Aliud pro alio insolutum
si dederit. *l. 40. §. 1. dig. de minorib.* si in judicem compro-
miserit, & tutore quidem auctore pñnam stipulatus sit. *l. 34.*
§. 1. dig. hoc tit. Si calamitosam novationem fecerit. *l. 27. §. 3.*
dig. de minorib. si damnosam hæreditatem adierit, quæ ante
lucrosa apparebat *l. 7. §. 5. dig. eod. & l. 1. Cod.* si minor, ab
hæred. se abst. aut idoneam repudiaverit. *l. 1. & 2. Cod.* si ut
omissam hæredit.

V I.

Omittendo minori læso succurritur, contra eos qui res mi-
norum tenent, si usucapione dominium acquiescierint. *l. 1.*
Cod. si adversus usucap. Si vel exceptionem vel allegationem
l. 36. dig. de minorib. aut etiam appellationem pratermisserit.
l. 7. §. 11. dig. eodem. Contra lucrum omissum restitutionem
imperat, si nempe hæreditatem locupletem *l. 1. Cod. si ut*
omissam hæredit. aut bonorum possessionem, aut legatum,
sive fidecommisum sibi relictum petere omiserit *l. 3. §. 7. eod.*
tit. notandum vero est quod si minor hæreditatem vel omi-
serit vel repudiaverit, ac deinde velit restitui, non aliter ad
restitutionem admittatur, nisi re adhuc integra: nam, in-
quit Scævola, si distracta hæreditate, & negotiis finitis ad
pecuniam alterius laboribus paratam venerit, repellendum esse.
l. 24. §. 2. dig. hoc tit.

6 DISPUTATIO JURIDICA

VII.

Non immerito hinc quæri solet , an minor restitutus , ut hæreditatem adquirat , iterum restitui possit ut sese abstineat ? Quod affirmo l. 7. §. 9. *dig. de minorib.* fallit hoc tamen in filios familias , qui restitutus est ad adeundam hæreditatem , quam pater ipsius repudiaverat . l. 8. §. 6. *Cod. de bonis que lib.*

VIII.

Permittitur minori præstitutum ab ipso per errorem juris ex testamento minus solemnii legatum , jure civili vero indebitum ; via restitutionis repetere , quoniam persolvit id , ad quod compelli non poterat ; l. 25. *dig. hoc tit.* & l. 8. *Cod. de rest. minor.* Sin per facti errorem persolverit , non per extraordinarium in integrum restitutionis medium sed ut majori per indebiti conditionem succurretur , l. 1. §. 1. & ll. seqq. *dig. de condic. indebit.*

IX.

Contra sententiam ; quæ transit in rem judicatam , minor restituitur . l. 16. §. 5. *Dig. hoc tit.* Quod tamen non majoribus , nisi appellatione interposita conceditur , hoc ætatis beneficio gaudent minores . l. 42. *dig. eodem.* Nihil refert an contra majoris , seu inferioris judicis sententiam , l. 18. §. 1. 2. 3. 4. *Dig.* & l. 3. *Cod. si advers. rem judicat.* quia in integrum restitutionis petitio , non iniquitatis sententiæ quærelam , sed erroris proprii excusationem , & adversarii circumscriptionis probationem continet l. 17. *Dig. eod.* etiam contra res bis judicatas princepes restitutionem indulget . l. 18. §. 3. *dodem.*

X. Con-

Contra rem judicatam non solummodo, sed in ipsis etiam judiciis ne opus habeat litigare, minori succurritur. *l. 6. dig. eod.* sive dum agit sive dum convenitur captus sit. *l. 7. §. 4. dig. hoc tit.* in eremodiciis quoque ut propter absentiam, lis sive perempta sive extincta, exintegro intendatur. Majoribus vero non nisi ex justa causa absuisse sed doceant, litis restitutio conceditur. *l. 7. §. 12. dig. eodem tit.*

X I.

Ex persona ipsius minoris patri pro filio restitutio datur, licet filius restitui nolit, quia ejus periculum agitur, cum de peculio teneatur. *l. 27. dig. de minorib.* filius quoque immoderate liberalitatis effusione patrimonium suum si exhauserit restitutio auxilio recte pater utetur. *l. 4. de inoff. donationib.* Denique etiam ex omnibus causis, ex quibus filii familias in re particulari restituuntur, filii nomine post ejus obitum, quasi hæres pater restitui potest. *l. 3. §. 9. dig. hoc tit. de minorib.*

X I I.

Competit & hæredibus minorum hoc beneficium, licet ipsi majores sint. *l. 18. dig. §. 5. eod.* hac tamen adhibita distinctione, quod si minor in minoris jura successerit, non prohibetur, quo minus post vigesimum quintum annum completum, totum quadriennium habeat illibatum. *l. 5. §. 1. Cod. de temporib. in integrum rest.* Quippe cum ex sua persona restituatur nec defuncti tempus numeretur. *Paulus 1. sent. 9. §. 4.* Majoris jura minor natus si fuerit, quantum tempus ad causas defuncti pertinebat, cuius hæres aut bonorum professor existit, tantum minori supererit. *l. 5. §. 2. Cod. de temp. integr. rest. l. 19. §. 1. dig. de minorib.* Cum vero major mino-

3 DISPUTATIO JURIDICA

ris successionem adeptus fuerit, statum ab adita hæreditate quadriennium præstatur. l. 5. §. 3. Cod. de temp. in integ. ref.

X III I.

Restitutio per minorem impetrata, ejus fidejussori an pro-
fit, non levioris est Controversia, ad eam (quoniam hæc res
in causæ cognitione versatur ut ait Ulpianus l. 13. dig. eod)
indistincte responderi nequit. Prodest hoc beneficium fide-
jussori, si minoribus ex ea causa restitutio competit, ob quam
etiam majores restituuntur, metum nempe & adversarii dolum
l. 2. Cod. de fidejussorib. minor. si fidejussor minori hæres exsti-
terit. 95. §. 3. dig. de solution. vel etiam si fidejussor ignorave-
rat adolescentem esse, pro quo intercessit l. 48. dig. de fidejuss.
cessat vero hoc beneficium in fidejussore, si minor ob æta-
tem sit restitutus. l. 1. Cod. de fidejuss. minor.

X I V.

Quæritur non in commode, quid juris siet si in communi
causa minoris, cum majore restitutio postuletur. Resp. be-
neficium hoc cum sit personale, minori tantum, majori ne-
quaquam proderit. l. un. Cod. si comm. cod. cauf. in integ. ref.
post. Procedit hoc si causa divisionem in sece non recipiat,
nam si causa fuerit individua, etiam ad alios extendetur resti-
tutio. l. 10. dig. quemad. serv. amitt. & l. 4. §. 3. dig. si serv. vind.

X V.

Datur & restitutio minoribus, non tantum contra eos;
ad quos ex facto minoris emolumentum pervenit, verum
etiam adversus ipsorum hæredes l. 14. dig. hoc tit. continuatur
quoque in tertium ejus rei possessorem, licet cum eo à mi-
niore non sit contractum, modo sciverit rem possessam à mi-
niore profectam esse. Secus si ignoraverit, & prior emptor
eiusve

I N A U G U R A L I S .

ejusve heres sit solvendo, si vero non esset solvendo, & quius est, minori succurri adversus ignorantem, quamvis bona fide emptor sit. l. 13. §. 1. in fin. dig. eodem. Etiam adversus dominum & Patrem, cuius servus vel filius aliquem circumscriptis, in eo, quod ad illos pervenit, minori opitulatur: sed si nihil pervenerit & ex neutro satisfieri possit, ob dolum servus verberibus castigandus, aut noxæ dedendus, filius autem condemnabitur. l. 24. §. 3. dig. hoc tit.

X V I.

Restitutionem hanc in integrum concedit Prætor l. 1. dig. hoc tit. & aliarum causarum judices competentes. l. 16. §. 5. dig. eodem non nisi causa cognita l. 44. dig. hoc tit. In qua iudex ita versatur num forte alia actione citra in integrum restitutionis medium, contractus descendit possit l. 16. dig. eodem. Præsentibus adversariis, l. 13. in fin. eodem. tam in aliis causis, quam contra sententiam suam. l. 16. §. 5. & 17. dig. eodem. contra sententiam, vice Principis, ex appellatione dictam, nullus nisi solus Princeps restitutionem tribuit. l. 18. §. 3. dig. eodem & l. 3. Cod. si advers. rem jud. Minor Magistratus contra majoris sententiam non restituit. l. 18. dig. hoc tit. & l. 1. §. penult. dig. de appellatione.

X V I I.

In multis casibus in integrum restitutio necessaria non est, si nempe ipso jure & communi auxilio minor tueri se possit: ut puta cum pupillo esse contractum sine tutoris auctoritate, nec quod inde factus sit locupletior. l. 16. dig. eodem. si curatorem habens, rem mobilem, sive curatoris auctoritate venderit. l. 3. Cod. de rest. minor. aut rem immobilem sine judicis decreto alienaverit. l. 2. cod. si advers. donat. & l. 2. 4. 8. & tt. Cod. de pred. minor. si contra legem Æliam Sentiam manuferit. tt. inst. ex quib. caus. manumitt. non licet. l. 3. Cod. si ad-

B

vers.

50 DISPUTATIO JURIDICA

vers. libert. si intra biennium non proposuerit exceptionem non numeratae pecuniae, quia nullae illis temporales præscriptions currunt, sed in statu suo remanent. *l. 5. Cod. in quib. caus. rest. necess. non est.* Porro in genere, cum id, quod gestum est, ipso jure irritum est, vel alio quam restitutionis beneficio suum minor potest consequi. *l. 16. dig. hoc tit. l. 4. Cod. in quib. caus. rest. nec. l. 3. Cod. de tutorib. vel curatorib. qui satis non deder. l. 2. Cod. si advers. donat. & l. 2. Cod. de pred. & aliis ribus minor.*

XVIII.

Denegatur omnino in integrum restitutio minori, si major factus gestum à se in minori ætate ratum habuerit, quod sit expresse puta, cum id pacto, verbis, aut scriptura celebrato, aut facto quodam declaraverit, vel tacite, si post impletum anuum vigesimum quintum intra quadriennium restitutio præstitum, restitui non petierit. *l. 1. & 2. Cod. si major. fact. rat. hab.* etiam denegabitur si sobrie rem suam administrans occasione damni non inconsulte accidentis, sed fato, velit restitui. Nec enim eventus damni restitutionem indulget, sed inconsulta facilitas, & quod fato contigit etiam prudentissimo Patri-familias contingere potest. *l. 11. §. 4. §. dig. de minoris.* Vel si sponte semet ipsum, ad pretium participandum, venire in servitutem passus sit ac emptor ignorans eum liberum esse, bona fide emerit. *Dig. l. 9. §. 4. hoc. tit. §. ult. Inst. de jure pers. l. 21. de statu hominum.* Denique si alterius circumveniendi causa, ex aspectu forte, aut corporis figurâ, falso apud Magistratum Majorem se probaverit, cum malitia ætatem suppleat, non utetur Restitutione. *l. 2. 3. Cod. si minor. se major. l. 32. in principi hoc. tit.*

XIX.

Non venit restituendus minor, si à principali clementia ætatis

I N A U G U R A L I S . II

tis veniam impetraverit, id est, jus legitimæ ætatis, sive dispensationem supra ætatem, per quam minori ante legitimam majorenitatem committitur rerum suarum administratio, ci-
tra tamen rerum immobillum alienationem nisi cum prætoris decreto, etiamsi postea minus idoneæ rem suam administrare videatur, ne hic scilicet qui cum minore contrahit, principali auctoritate circumscripitus videatur. *l. i. Cod. de his qui ven. ætat. impet.* & *l. 5. in pr. Cod. de temp. in integ. refl.* Neque subvenitur Minoribus, si contra parentes aut patronos restitutio postule-
tur, ut in omnibus honos illis intactus atque illibatus maneat.
Personarum enim reverentia omnem eis excludit restitutionem,
quoniam semper optime consultum velle liberis præsumuntur.
l. i. §. 2. Cod. qui & advers. quos in integ. verum adversus paren-
tes dari potest in factum actio secundum rationem. *l. ii. §.*
dig. de dol. mal.

X X.

Cessat minoribus in integrum restitutio si adversus delictum petatur, puta quod in re deposita aut commodata dolose ver-
satus fuerit, aut furtum commiserit, vel damnum injurya,
dederit. *l. 9. §. 2. 3. dig. de minorib.* Utique in criminibus atrocioribus, adulterio nempe, in eo nulla est deprecatio, aut si adulterii damnatam duxerit, nec in adulterio comprehensam di-
miserit, quæstumve ex adulterio fecerit. *l. 37. §. 1. in fin. dig.*
codem. Nam contra leges committens indignus est earum be-
neficio & malorum mores infirmitas animi non excusat. *l. i.*
Cod. hoc tit. secus est si civiliter quid sit prohibitum tunc ve-
nia dari solet. *l. 2. Cod. eod.* & *l. 38. §. 2. dig. ad l. Jul. de adult.*
vel si dolus non interveniat. *l. 9. §. 5. dig. de minorib.* mitius
quoque agitur, si non tam ex malitia & constanti animo,
quam quidem ætatis lubrico commissum esse videatur. *l. 37.*
dig. eod. & *l. 11. de paen.*

S I N I T C O.

COROLLARIA.

I.

*A*dversus minorem minor non restituitur.

II.

Minor viginti 25. annis modo sit exephæbus potest esse iudex.

III.

Major 18. annis potest esse procurator ad lites.

IV.

25. Annis minor jurisconsultus ex contractu læsus non restituitur.

V.

Naturalis rei interitus, post moram contingens pertinet ad debitorem, nisi eo modo res apud creditorem peritura fuisset.

VI.

In causis criminalibus, non defertur à iudice ius-jurandum, in supplementum probationis.

VII.

Prius testamentum per posterius imperfectum non rumpitur.

VIII.

Mandator vulneris, si ex vulnere mors subsequatur, non tenetur ordinaria pœna Legis Corneliae, sed arbitraria.

F I N I S.